

Autē] *Edificā* Ecclesiam. In Evangelio Matthæi Ebraice scriptum est *Π* *Υ* adversum te, ut de Petro intelligatur, qui videtur esse exscriptoris error potius, quam Interpretis, observante Casaubon l. c. p. 356 contendit nihilominus Arminius, istud etiam ad Petrum referri posse. Sed Christus hic de Ecclesia, quatenus supra se edificata manet, loquitur; atque similem dicit Ecclesiam urbi in Petra celeberrimæ, quæ alterius urbis viribus validissimis nulla ratione expugnari possit. Castrum igitur Ecclesiæ inexpugnabile innuitur.

CAPUT III.

EXHIBENS

Analysin Logicam.

Postquam Petrum ob confessionem beatum prædicasset Salvator, nunc v. 18 à Petro, Ecclesiæ ministro, ad PETRAM, Ecclesiæ fundamentum, procedit, & aperit illi consilium suum de ædificanda & conservanda Ecclesia Christiana, quæ confessionem Petrinam perpetuò sit servatura. Hæc enim fuit Domino consuetudo (*sunt verba Casauboni l. c. p. 340. b*) ut spiritualis doctrinæ arcana patefacturus occasionem ac velut ansam sermonum suorum sumeret interdum ex aliqua rerum sensilium similitudine. Sic differens cum muliere Samaritana, quæ aquam haustura venerat, doctrinam suam appellat aquam, *qui biberit, inquit, ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum Joh. IV.* Sic in VI. cap. ejusdem Evangelistæ, turbas panem desiderantes alendo corpori, ad rerum celestium cupiditatem revocans, doctrinam suam nominat panem. Simile quid etiam hoc loco licet observare. Nam quia Simoni jam ante Petri nomen imposuerat; sumit ex eo Dominus occasionem dicendi illi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram &c.* quasi diceret, Tibi quidem à Petra nomen est Petro inditum; sed ego majora jam molior, & super illa ipsa Petra Ecclesiam meam paro ædificare. Duo autem sunt, quæ hac propositione de Petra Ecclesiæ involvit Dominus, *Ædificatio* nimirum, ejusque *conservatio*. Quæ omnia suis circumstantiis & causis egregiè descripsit ac delineavit.

I. Circa *ÆDIFICATIONEM* observetur 1. *SUBJECTUM* sive architectus, qui *partim Primarius*, Christus ipse; *Ego ædificabo*, inquit h. l. Quo ipse *structuræ* illius *ædificii*, quod est Ecclesia, gloriam sibi

qui